

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

*S. a filio Dei, nostro Emanuele. Reverende**Domine compater.*

GRatulor ex animo Ecclesiæ & Scholæ vestris, quod amplissimus Senatus Argentoratensis pium & innocentem D. Ilyricum, hospitio recepit. Nec dubito, Deum misericordem hoc officium humanitatis ingenti mercede remuneraturum esse; Nam Spiritus Sanctus pronunciat illos beatos, qui intelligunt super egenum & pauperem, & addit multas promissiones, insignes; Psal. 41. Quibus si Senatus vester se ornari & locupletari cupit, haud dubie continuabit benevolentiam semel erga D. Ilyricum conceptam, nec patietur sibi imponi à calumniatoribus, aut falsis fratribus, quorum nunc (proh dolor) plena sunt omnia, sed majorem rationem innocentiae & constantiae D. Ilyrici, imò Divini mandati & promissionis, & evitacionis pœnarum habiturum esse confido, idque exemplo pii mei Illustrissimi Principis, qui hospitium D. Heshusio concessit, eumque benigne ruetur, audit, & gratia singulari complectitur, etiam si viscera Sathanæ rumpant, non tamen moverent. Hæc ut tibi currenti calcar adderem, scribenda putavi. Dn. Scholarchæ unâ tecum, pro vestra pietate & prudentia curabunt diligenter, ut D. Ilyricum in vestra Ecclesia & Schola, veluti singulare donum & ornamentum à DEO vobis datum, perpetuo retineatis, & lectionem Theologicam conferatis, hoc DEO & Ecclesiæ Christi gratum erit, & Republicæ vestræ laudi & emolumento dabitur.

Deus mirabiliter vindicat nunc injurias & persecutiones D. Ilyrico illatas. Nam certum est, quod Dux Saxoniae, Wilhelmus, serio cœpit reformare Ecclesias suas & Scholas, contaminatas fermento Victorini & Stösselii. Nam *Juristen böse Christen*. D. Dangel & D. Dürfeld, defensores corruptelarum, cum indignatione dimisit, Stösselium vero & Selneccerum ab officio deposuit & obligavit, ne pedem moverent. Revocavit e contra Rosinum & multos impie ejectos, & nostrum Doctorem Petrum Brem, in numerum Consiliariorum cooptavit, nec curat indignationem multorum. Instituit etiam severam inquisitionem in eos, qui Jenæ D. Ilyrici aedes in vigilia Martini hostiliter expugnarunt. Dat etiam operam, ut plures pios Doctores Ecclesiæ & consiliarios accersat, si modo eorum copiam habere possit. Ex quibus conjecturam facio, & ipsum D. Ilyricum & D. Wigandum, & D. Museum, & alios pios, impie ejectos, revocatum & in pristinum locum restitutum iri. Quod ut propediem fiat, faxit DEUS. Wittebergæ edita est mensè Octobri commonefactio Historica de statu ejus temporis, quod Evangelii lucem præcessit, à D. Majore recitata, plena maledicentiæ & virulentiae adversus D. Ilyricum & alios pios: Ideoque digna acri refutatione, quam propediem in lucem prodituram esse confido. De rebus bellicis à vobis aliquid certi expectamus, nam Galli vobis vicini magis sunt, quam nobis. Bene vale, Clarissime Domine

compater, D. Illyricum & fratres tuos in Ministerio, & D. Doctorem Ludovicum Gremium, & omnes nobis amicos, nec non piam uxorem tuam, amanter salvere jubeo. Interim vale & novo anno feliciter frui. Data sub candelis, in Festo Circumcisionis Domini. Ao. 68.

T.

Wolfgang. à Kötteritz.

CXXXVII.

Salutem per & propter Immanuelem nostrum.

Nobilis ingenio, vera pietate celebris
 Doctor, & ô multis, Vir reverende, modis.
 Quòd libet alternos invita Pallade versus
 Texere, vel metricos composuisse pedes;
 Id, nisi lætitiæ præsentis temporis expers,
 Non, mihi qui vitio vertere possit, erit,
 Dum pia concurrens frequenti ecclesia cœtu
 Cantica solenni carmine lata canit,
 Grata Deo, memor officii, cunabula Christi,
 Dum canit ætherei concio sacra chori.
 Quod quot servitio cœlos plantare jubemur,
 Nos multo ergo minus conticuisse decet.
 Transiit exactus bis sex his mensibus annus,
 Convenit hunc cursu nunc iterare pari.
 Transiit exactus bis sex his mensibus annus,
 Convenit hunc cursu nunc iterare pari.
 Ex quo virgineâ natus salvator ab alvo
 Filius ipse Dei, splendor, imago patris.
 Mors mortis, mortem propria qui morte subegit,
 Factus homo nostras venit obire vices.
 Diluit is nostram, profuso sanguine, labem,
 Cœlestesque patent, hoc reserante, fores.
 Unde salutiferum, cute circumcissus, JESU
 Nomen (id angelica voce jubente) tulit.

Gaudia